



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fvldensivm Antiqvitatvm Libri III.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Capvt XIV. Continuatio illustrium virorum secundæ & tertiæ classis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

Fama virtutis ac sapientie innumeros alliecit ad religionem.

tionis per omnem circa regionem se diffundente, multi generosæ stirpis viri liberos suos in ipsius disciplinam traderent; alij quoque non obscuro apud suos, fortunis mundoque valere iussis, Christi & Lintberti sese obsequio consecrarent. Ad Hirfaugiam venisse eum perhibent, regibus carum, ac magnatibus verendum, anno atatis LX. conuersionis XLII. Abbatis munus gessisse annis sedecim.

CAPVT XIV.

*Continuatio illustrium virorum secundæ
& tertiæ classis.*

ORBITAM, sed breuem Flacciani solis, quam curriculo suo descripsit, absoluiimus. Albino Flacco, quod litteris valde compertum sit, haud clarior inuenitur notiorque, qui successerit, doctrinarum magister, quam Magnentius Maurus Hrabanus, cuius è scholâ, vt innumeros præteream alios, summa hæc neque interituræ laudis ingenia prodire, Walafridus Strabus, Lupus, Otrifridus, Werenbertus & Helpericus, ambo monasterij S. Galli aurea quædam sidera, Hartmundus, Probus, Rudolphus, Candidus, Mago, Modestus, qui ab ortu litterariæ Fuldenfis palæstræ secundam velut eruditorum & sapientissimorum virorum classem efficiunt.

Secunda classis Hrabani discipulos exponit. Catalog. illust. vir. & lib. 2. de illust. Ordin. S. Bened. c. 41

Walafridus Strabo, seu vulgò Strabus. Auctor vel inceptor Glossæ ordinariæ. Strabus vnus idemq; cum Walafrido. Adi Cansij præfat. Tom. 6. antiq. Lect. Siegeb. c. 71. Surium in Octob. in S. Galli vitâ. Præfat. ad Thegani opusc. Annal. Franc. Pirhecanis Fuld.

STRABVS, vt Trithemij verbis vtar, *monachus Fuldenfis, natione Teutonicus, Hrabani scriba, discipulus & notarius; vir certè ipse vndequaque doctissimus, qui diuinarum Scripturarum optimè sensa norat, bono explanante magistro, litteris & diuinis & humanis ad plenum instructus, Theologus, Philosophus & Poëta celeberrimus, ingenio iuxta linguæque facundia promptus.* Non villo scriptiois genere lætior in posterorum memoriâ victurus, quàm ingentis operæ ex veterum monumentis publicatæ Glossæ syntagmate, quam ordinariam vocamus; cuius ipse fundamenta iecit. Sed varium hîc Trithemij errorem caueamus oportet, cum Walafridum Strabonem passim à Strabo diuidit, & velut ætate disparem, illum S. Galli, hunc Fuldensem monachum, quemque seorsim laudat. Walafridus enim vnus idemque ex monasterij S. Galli

S. Galli disciplinâ profectus, Fuldæ discipulus olim, atque inde magister floruit; postea inter suos Decani honore sublati, apud Augiam diuitem quoque munus Abbatis accepit anno Domini DCCCXLI. atque in eodem munere diem suum clausit, XLIX. eiusdem sæculi, vt ex egregio cœnobitâ Santgallensi, Tomo VI. antiquæ Lectionis ab erudito Canisio obseruatum est. Poëticum hunc lusum ipse de nomine suo fecit:

*Edidit hæc Strabo paruissima portio fratrum,
Augia quos vestris insula alit precibus.
Strabonem quamquam dicendum regula clamet;
Strabum me ipse volo dicere, Strabus ero.*

*Decanus S.
Galli.
Abbas Au-
gia, vulgò
Reichenauu*

*Poëmat. de
Grimaldo.*

Porro quem Strabonis lateri sociauimus, Lupus, ex Senonum Galliæ finibus litterarum gratiâ Fuldam profectus, eruditorum familiaritate quæsitâ, vt vndique feracis ingenij copias adaugebat, sic & librorum veterum corrogatâ supellectile, litteras iam tum obliuione propemodû sepultas instaurabat, quæstionibus, vt indicio sunt epistolæ quæ leguntur, quacumque delatis, ad excutiendum ignauæ mentis torporem. Ita litteris scientiarumque diuitiis abundans hinc in Galliam regressus, regum & nobilium antistitum gratiâ circumfluxit, & eruditionis variæ item elegantiam regnum illud ornauit. Carolo Caluo

*Lupi Ferrar-
iensis mona-
chi Galli præ-
conium.
Ex lib. epist.
cuius quæ ex-
tant.
Papir. Mas-
son. in Cal-
uo, &c.*

Eius a. n.

*Abbas Fer-
raria, vel
Bethlemistici;
si monaste-
rij.
Rhabano
magistro
scriuit.*

rege, & munera ampla in illius regno gessit, & Synodo quoque Sueslionensi interfuit, cum iam Abbas monasterij S. Petri in agro Senonum, quod Bethlehem vel Ferraria dicitur, creatus esset. Quâ de re ipse ad præceptorem suum Rhabanum ita scripsit: Reuerendissimo patri, eximioque præceptori Rhabano, Lupus salutem. Non potui hætenus gratias vobis agere, tamen quantitas affectu habuerim, occultorum cognitor semper inspexit. Deinceps autem, si idem Deus vitam vestram produxerit, optatamque pacem reformauerit, non erit impossibile, quid animo geram, factis ostendere: namque consensu fratrum nostrorum in Kalend. Decembris cœnobium Ferrariense mihi commissum est, dominusque noster Carolus mirâ me dignatione fouens, gratiâ suâ donauit: vestra igitur beneuolentia me, vnâque congregationem mihi creditam, sacris orationibus commendare dignetur, vt sicut studia mea plurimum eruditione adiuuistis, sic officij difficultatem, assiduâ precibus temperetis.

Quæ in Otfridium verò Deus gratiæ doctrinæque munera

H

cumu-

roveri
antiquitate
idenses.
STV
9

*Osfrius in
VWissenburg.
monasterio
claret astro-
nomiâ, &
studiis sacris.
Trith. in ca-
talog. illustr.
vir.
Germanica
Orthogra-
phia inuen-
tor.
Boic. rer. l. 2.*

cumularit, ingrato silentio premenda non sunt. Hic apud Nemetes in Wissenburgensi cœnobio lumen ingenij tantum ostendit, vt astrorum ac diuinarum rerum peritiâ excellens, admirandâ metrorum felicitate demum in Germanici ac vernaculi sermonis elaborando canone, parum licet fructuosè sudarit, nulli suâ ætate copiâ scientiarum & pangendi facultate secundus. Eum Marcus Velferus, Germaniæ decus, in Boicis attestatur, Germaniæ sermonem scriptu eâ ætate perdifficilem, omnium primum litteris tractare aggressum. Nec S. Galli præclarum hodieque, in Alemanniâ Sueuorum, ordinis S. Benedicti monasterium, Rhabani præcellentis magistri fœtuiâ caruit; quando ex Fuldësis gymnasij sacratio, & *Helpericum & VVerenbertum* accepit, egregiæ fecunditatis argumento, qui seueriore simul & amœno succinctus doctrinæ cothurno, non Philosophiæ magis ac diuinæ sapientiæ laudibus, quàm poëtices Græciq̃ue sermonis gloriâ claruit.

*Helpericus,
& VVeren-
bertus S.
Galli.*

*Hartmun-
dus eiusdem.*

Huic, vt olim Fuldæ condiscipulatu, sic ornamentis litteraturæ linguarumque varietate geminus fuit, eiusdem monasterij cœnobita Hartmundus, qui & scriptis in sacra Biblia commentariis Rhabani præceptoris imaginem ad posteros transmisit; quæ sparsim clarior elucescit, cum discipulorum eius globus, quem Hartmundo subieci, tacito lectoris animo occurret.

*Rudolphus
excellens Ful-
dæ scriptor
doctusq̃;*

Sed domesticos inter *RVDVLPHVS* præstantissimi nominis ab historiâ & interpretatione litterarum sacrarum, nec hîc præteriri debet; quem tanta sapientiæ doctrinæque gloria beavit, vt cum sui temporis eruditorum longè esset princeps, velut alter Augustinus omnibus se consulentibus de rebus grauissimis luculenta responsa daret; multaque exactæ diligentia volumina, iam intermorta, publicaret. Hinc & Luduicus Luduici Pij filius conscientia suâ latebras ei apertas habuit, & concionantem audire solitus, etiam scholasticis Fuldæ præfectum, regiâ liberalitate coluit.

*Luduici regis
concionator.*

*Ascrihus &
Ruodbertus
cœnobita Ful-
den. Romam
legati.
Ex ipso ope-
re Acrostich.*

Quin & huic annumerandi *ASCRIVS* & *RVODBERTVS* publicis Annalium litteris clari, nec taciti Rhabano præceptoris; quos ipse ex Fuldensi monasterio Romam ad Sergium Pontificem misit, vt rarissimæ tunc artis Acrostichidum de S. Cruce librum, munus ei sanctoque Petro præsentarent. Quod sanè
munus,

munus, vt mirificè fuit aliàs Alcuino Rhabani magistro probatum, sic ab Odilone Cluniacensi, amplissimo cum auctoris præconio extollitur: *Rhabanus seculari scientiâ affatim eruditus, si de Catholicis, spirituali scientiâ ad plenû edoctus, tale de laude S. Crucis texuit opus, & texendo perfecit, quo pretiosius ad videndum, amabilius ad legendum, dulcius ad retinendum, laboriosius ad scribendum non potest inueniri.* Illud verò perscriptum & elaboratum, anno ætatis ipsius tricesimo, ex Rudulpho eius discipulo satis liquet.

At Rhabanus interim, vbi professorio munere defunctus, studiorum voluptatem laboriosâ gubernandi functione mutauit, Strabo discipulo lampada cathedrâq. cursu tradidit; qui minimè segnis ingenij alacritate, docendi prouinciam amplexus, frugis optimæ specimen præbuit in discipulis, quos hæc tertiâ sobole Fuldenfis schola peperit. Meminit hanc rem ita Trithemius: *Rhabano in Abbatem sublimato, eius discipulus Strabus, scholæ publicæ prælatus est; qui Gerungum tunc adolescentem, Rhabano præcipiente, singulari diligentia profecutus est. Mos erat in Fuldensi cœnobio, his temporibus, monachos non solum in Scripturis sanctis instituire, sed etiam in omni seculari scientiâ litteraturâ ad plenum erudire. Probè enim iudicabant sapientissimi viri, diuinas Scripturas neminem posse perfectè intelligere, quem litteras secularis doctrinæ contigisset ignorare. Extant multa monachorum istius temporis præclara volumina, in quorum comparatione, ea quæ hodie cudentur, tamquam paleæ vilescunt. Reperi autem inter alia Strabi huius opuscula, libellum de Arithmeticis dimensionibus, quem scripsit ad Gerungum Abbatem S. Aurelij, cui præponit epistolam sic incipientem: Reuerendissimo, merito patri, etate filio, litterâ discipulo, gratiâ magistro, Gerungo Abbati æternæ beatitudinis præmium possidere. Hucusque Trithemius.*

Atque GERVNGVS hic Hirsaugiensis monasterij secundus Abbas, in hoc ordine tertio generosæ sobolis à Strabo propagatæ, germen istic lætissimum extulit; quando RUTHARDVM Fuldenfis item cœnobij alumnum, & Strabi auditorem, æmulatione sapientiæ, cathedræ imposuit; eumque breuî plenis subfelliis tam nobili auditorio frequentique stipatum habuit, vt Fuldense gymnasium ad Hirsaugiam translatum existimares. Nam Ruthardus hic, Trithemio teste, primus in cœnobio

Rhabani opus de S. Cruce Sergio Pabolatum. A S. Odilone laudatum. Serm. de lau. S. Crucis.

VValo fridus Strabus Rhabano Doctor succed. itaq.

Tertia classis Strabi discipulos exponit. Chron. Hirsaug. in Gerungo 2. Abate.

dilectione Sacrarum litterarum cum profanis associatio Fulda.

Auxesis.

Gerungus Hirsaugiensis Abbas. Ruthardus ex Strabi disciplina doctor apud Nemetes celeberrimus.

roverri
antiquitate
idenses.
STV
9

Chron. Hir-
saug. ad an.
863.

S. Aurelij, monachis, diuinas iuxta profanasque litteras, more Fuldensium, docere cœpit; eamque in omni disciplinarum genere famam eruditionis obtinuit, vt non ex diuersis modò cœnobiis vndique monachi, sed ad eum audiendum sæculares quoque confluerent. Laudem his vigiliis parem addunt, tum ex aliis quæsitam lucubrationibus, tum ex egregij operis conatu, quo primus ipse S. Benedicti regulam illustrare commentario aggressus est. Istuc etiam altioris sapientiæ, nec ambitiosæ doctrinæ factum, responsumque illius memorabile fertur. Quippe Luduicus Imperator, compertâ Haimonis Halberstadiensis Episcopi morte, cum eius sedis mitram pedumque Ruthardo deferret; *Episcopatum, inquit, alteri velim, Imperator, dari iubeas; qui ad eum gerendum, quam ego, magis idoneus sit. Equidem vitæ regularis tranquillitatem, & diuinarum litterarum studia, ambitioni & cunctis mundi gazis longè mihi semper duxi anteferenda.* Rudolphum quoque medio tempore Fuldæ item discipulos eduxisse, & magisterij floruisse ornamentis, cum aliundè affatim, tum ex vitâ B. Solæ, quæ ab eius alumno siue Ermenoldo siue Ermanrico scripta, liquet. Salutarur ibi *Didascalus & venerandus magister; & in omni arte ex Rhabani doctrinâ peritissimus, magni ac multiplicis ingenij vir.*

Ruthardus
recusat Hal-
berstadien-
sem Episco-
pen.

De eodem
Ioan. Boni-
fac. Soc. Ies.
lib. De rectâ
institut.

Rudolphus
propagasse
discipulos
traditur.

Tom. 4. an-
tiq. Lect. in
prologo, &
in epist. ad
Gundram-
mum.

Stemma quoddam digessi, & numeros eorum qui Fuldæ velut officinam sapientiæ plurifariam adornarunt; ac, ne quis nobis hanc successionem turbet, meminerit in moribus quoque fuisse veterum cœnobarum, antequam scholæ probè coalescerent, & copiis doctrinæ domesticis abundarent, emittere ac proferre foras magnæ indolis ac spei ingenia, quæ beatis inde sapientiæ fontibus irrigata, in quamplurimos sese riuos & amnes diuite cursu prouoluerent. Quo modo in antiquis monumentis lego de Raitgario Abbate, qui anno DCCCXVII. florere cœpit: *Rhabanum & Hattonem Turonas in Galliam direxit ad Albinum magistrum, vt liberales artes addicerent: Brunonem ad Einhardum, variarum artium peritissimum doctorem: Modestum & Candidum cum aliis ad Clementem Scottum, Grammaticæ studendi causâ.* Verùm hæc atque multò florentiora sapientum decora alia, ferax hoc doctrinarum & virtutum Fuldense gymnasium eo quidem tempore protulit, sed non perinde

inde postera ætas, ob silentium litterarum, exornanda reliquit.

Vnius vel MEGINFRIDI Chronicorum monumenta Lutherianæ centuriæ nobis reliqua fecissent, quam eruditæ iucunditatis officinam clarorum imaginibus refertam, ille posteris aperiret? De eo Spanheimensis Abbatis hoc extat iudicium ad annum Christi MX. *Claruit etiam his temporibus Meginfridus monachus Fuldenfis Chronographus; qui velut rosa inter spinas, ita studiosus inter desides, carnales, ignarosque sui monasterij monachos, clarus emicuit. Is inter cetera ingenij sui opuscula, historiam sui monasterij ab origine diligenter complexus, Abbates singulos secundum ordinem temporis sibi inuicem succedentes inseruit, & vniuscuiusque gesta breuiter annotauit, eorum quoque cœnobium, quibus vel monachos ex Fuldensi missos nouit, vel Abbates, pari ratione meminit; quorum vel successiones Abbatum, vel memorabilia facta interserendo, compendiosè descripsit. Ex cuius viri laboribus, multa me, fateor, in hoc opere nostro, de Hirsaugiensi historia, necessaria commiscuisse.*

*Meginfridi
clari apud
Fuldenses hi-
storia scri-
ptoris iactu-
ra.*

*Chronic.
Hirsaug.*

Ad Meginfridi ætatem retulero Wicelinum, qui floridâ iuuentâ, magnitudine ingenij supergressus æuam, intempestiuo funere raptus est. Luxere eum discipuli tribus epitaphiis, è quibus vnum hîc pono:

Wicelinus.

HVC PRECOR INTRANTES, HVC CERNITE *P̄COR EVNTES; *PRECOR

CERNITE QUID MODÒ SIM, CERNITE QUID FVERIM.

FLORE IVENTVTIS CESSIT CVSTODIA CLASSIS;

NVNC CINIS EXIGVVS; PARVULA CLAVDIT HVMVS.

NOMEN ERAT WICELIN POSITVM CARNALITER OLIM,

IAM NON DE PLACITO, SI DATVR EX MERITO.

EXEMPLO NOSTRI MEMORES ESTOTE SEPVLTI:

HVC REDIT OMNIS HOMO FINE SVB OCCIDVO.

Versiculi alij extollunt hominis eruditionem, & cum eo cecidisse volunt Fuldenfis scholæ lucem:

NAMQVE FVIT DOCTVS; DOCTRINAE MVNERE LARGVS.

FELIX TERRA, SVAM CONDVPPLICANS SEGETEM.

Vnum in hac doctrinâ scriptisq̄ue nobilium hominum hucusque à me pertextâ corollâ, obseruatu quoque dignum inuenio;

quod nominum ornatu peregrino delectati, vel ob insigne magisterij, vel imitationem exempli, vel aucti ex eruditionis & virtutis famâ honoris, vel ob aliam non perinde compertam

*Nominalia
quoddã apud
priscos cano-
bitas vsita-
ta, cum*

H 3 nobis

roveri
ntiquitate.
ldenses.

STV

9

*pro Francis
ceu Theudi-
scis adsiuere
Latina.
* al Magne-
tium. lect. in
Sigeberro
cap. 90.
MS. Fuld.*

*Vt in Italiã
supereminẽ
litterati Gẽ-
tilium.
In elogiis ad
Pomponium
Lacum.*

nobis in præsentia causam, præter Germanicum, Francicum-
que, Latinum in Fuldensi monasterio nomen assumpserint: nam
vt Albinum Flaccum in Alcuino, Magnentium Maurum in
Rhabano, Strabonem vel Strabum in VValafrido, quæ littera-
rium album sapiunt, omittam; in Bonoso glorioso, Candido
ac Modesto huius loci cœnobitis exploratum habeo, eorum
vernacula nomina, Hatto, Bruun, & Rechio, extitisse. Quare &
honorariam nominis professionem tulisse Flaccum, *Magnen-
tium, Bonosum, Strabum, Probum, Lupum, abolito apud
Francos, nec in sacro quidem fonte passim recepto, Latialium
nominum vsu, dubitare nihil attinet. Ac nescio quidem, an
sanctiore tamen instituto, quemadmodum auorum memoriã,
renascentibus in Italiã litteris, eruditi quidam Romæ viri, veterum
ingeniorum illustria nomina sibi ipsis indiderunt, cum
in cœtu sodalium, Iouio teste, laureati Musas colerent, sic &
cultioris ingenij maturitate, cœnobitas nostros, priscorum do-
ctorum in suo gymnasio censeam renouasse titulos. Gemi-
na certè nomina ex instituto tulisse, non accepisse temerè data,
liquere puto.

CAPVT XV.

*Abbatum monasteriũ Fuldenfis dignitas
& prerogativa.*

*Quã tenui-
bus initiis,
quantis in-
crementis,
Fuldense no-
men surre-
xerit.*

QVIA virtutis præmium honos est, quam, cum admirabi-
les sui amores excitare per se videmus, tum doctrinæ ac
sapientiæ si fulta sit adminiculis, haud faciliè dixero, quos ipsa
plausus dare, significationesque fauoris excitare soleat. Experti
hoc sunt, qui ad huius Fuldenfis amplissimæ congregationis,
ceu reipublicæ clauum sederunt, quorum quo florentior reli-
gionis ac litterarum disciplinæ gubernatio fuit, hoc ampliora à
summis Ecclesiæ Pontificibus, & speciosiora à Regibus & Im-
peratoribus ornamenta in monasterium hoc, velut honoris
quoddam theatrum, congesta sunt. Omnia referre longum sit;
distingere singula, nihil vetabit. Initio tamen hîc conspicias
velim, exiguum loci patrimonium, & agelli, qui in qua-
drum,